



**Io. Iac. Chiffletii De Linteis Sepulchralibus Christi
Servatoris Crisis Historica**

Chifflet, Jean-Jacques

Antverpiae, 1624

Cap. XXVII. Alia othonia pro linteis Christi sepulchralibus habita. ectypa
pleraque: sanctuaria: brandea: linteamina Martyrum & veterum
Christianorum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64456](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64456)

Et sigillatum tribus sigillis in cerâ rubeâ sub duplici caudâ pergameni impendentibus.

Sindonem Compendiensem, cuius tam vetus est in Galliâ Belgicâ religio, quamque Claudius Campegius in libello de Locis sanctis Gallie, scribit imagine Christi Domini minimè signatam esse; dixerim ego toti Christi corpori intra monumenti septa extrinsecus circumuolutam, supra institas ac Sudarium Vefontinum; quemadmodum Taurinense linteum idem Christi corpus cruentum ac rigidum è cruce excepit.

CAPVT XXVII.

Alia othonia pro linteis Christi sepulchralibus habita: ectypa pleraque: sanctuaria: brandea: linteamina Martyrum, Et veterum Christianorum.

OTHONION Græcè significat quoduis λινὸν ὕφασμα, *quamuis è lino texturam*, è quâ parabantur *lineæ*, seu vestes è lino contextæ. Glossæ veteres habent, *linteamen*, ὀθόνιον; *linterarius*, ὀθονιακός, ἔ ὀθονιοπόλης: alibi, numero multitudinis, *lintea*, ὀθόνια; vt in funere Meletij Episcopi Antiocheni, Gregorius Nyssenus dixit πληθυντικῶς, *Sindones mundas*; & in mysterio Christi rediuiui, Ioannes τὰ ὀθόνια: quod arguit, plura sepulturae Domini-

cæ

cæ adhibita fuisse, vt suprà iam declaratum est.

Quamobrem non mirum, (inquit Gretserus) si plu- ^{1. de}
ribus in locis plura inueniri dicantur, cum reuera plura ^{Cruce}
fuerint. ^{c. 85.}

Petrocorij in Monasterio Cadunio, Dice-
cesis Cadurcensis, linteum quoddam tenue pro
Christi Sudario seruant, per Monachos Ber-
nardinus ibidem collocatum, anno Domi-
ni M.CCC.XCIX. auctore Nicolao Gillio in Chro-
nicis. Serarius in rebus Moguntiacis ex MS. ve-
teri narrat, S. Bilhildem accepisse à Kunegunde
Principe feminâ *Sudarium quo Christi Domini*
caput & facies in sepulchro tecta fuissent; eiusque
partem alibi notat seruari Moguntiaë in alto Vir-
ginum Monasterio, & quotannis postridie Pa-
schatis, ex ambone quodam, facibus prælucenti-
bus explicari, & populo monstrari. In Theatro
Antiquitatum Parisiensium descriptum extat Di-
ploma Balduini Imperatoris, datum apud S. Ger-
manum in Laya, anno Domini M.CC.XLVII. quo
concedit inter alia Ludouico Francorum Regi
partem Sudarij, quo inuolutum fuit corpus Christi
in sepulchro. Petrus à Beek in Aquisgrano suo re-
fert, in Monasterio S. Cornelij, mille passibus
Grani aquis dissito, Ludouicū Pium Imp. posuif-
se *Sindonem mundā, quā Ioseph inuoluit corpus Do-*
mini, & partem Sudarij, quod fuerat super caput eius.

Fortè hæc ipsa est Sindon, quam deinde Carolus Caluus Ludouici filius Compendiensibus dedit. Sindonem Christi sibi quoque vendicant in Vrbe, Ecclesia S. Ioannis Lateranensis, & S. Mariæ Maioris, teste Attilio Serrano in libello de septem Urbis Ecclesiis. Pingonius, Mallonius, & Prosper Bonafamilia indicant, similia possidere in Lusitaniâ Turdetanos, & in Inferiore Germaniâ Traiectenses; quod tamen falsum esse certâ eruditorum relatione comperimus. In quadam Lipsanothecâ Ecclesiæ Carnotensis seruatür portio Sudarij Christi, ex Rolliardo de rebus Carnotensibus. Alias Sindonis particulas variis Sacrariis sparsas non commemoro.

Part. I.
cap. 8.

Loc. cit.

Horum verò Linteorum, quæ pro veris Christi Sindonibus vel Sudariis, variis locis haberi solent, alia sunt pura & candida, alia imagine Christi Domini iacentis insignita. De pictis plerisque, credo facilè, cum Gretsero, *huiusmodi sacra pignora, & Lipsana, ex imitatione aucta, & ex prototypo sæpius expressa, occasionem dedisse posteris, ut sibi persuaderent se verum exemplar possidere; cum non nisi imaginem ex primo Sudario vel Sindone effigiatam haberent: qui error omni culpâ caret, cum & in primis illis, & in his quæ ad imitationem illorum adumbrata sunt, vnus Deus, Redemptor noster honoretur.*

retur. Vlyssipone primariâ Lusitaniæ vrbe, extra muros, in Monasterio Virginum *Matris Dei de Enxobregas*, ostenditur die Iouis Hebdomadę sanctæ, Sudarium cum imagine Christi Domini, sed ectypon. Mallonius disertè asserit, ex Camberia-co Linteo alia exemplaria excerpta esse, quæ in magnâ existimatione, vt par est, seruantur: & nos ex Vefontino idem factum suprâ ostendimus. Adde quòd olim pictum frequenter in Sindonibus Christum, adstruunt verba Leontij Episcopi Neapolitani in Cypro, quæ leguntur in Secunda Synodo Nicænâ. *Christum* (inquit) *Christiq; passiones, passim in Ecclesiis, in domibus & foro, in picturis, in SINDONIBVS, in promptuariis, vestibus, omnibus denique in locis hanc figuram ponimus; quò continuo contemplantibus nobis hæc in mentem veniant, & non obliuiscamur Domini Dei nostri.*

Lib. 5. Apol. cõtra Iudæos.

De puris & candidis Sudariis, aliæ rationes adferri possunt. Inprimis, mortuos olim, quamuis pretiosis vestibus indutos, Linteis etiam obuoluebant. Asterius vir Senatorius (apud Eusebium) cùm Marino Martyri præstò adesset, ipso mortis articulo, simul atque è vitâ migrarat, *cadauer tollit, splendidâ & pretiosâ obtegit veste, atque humeris impositum inde deportat; quod cùm magnifico & sumptuoso linteo obuoluisset, decenti sepulchro condidit.*

Lib. 7. Hist. c. 14.

Sur. To. 1. An gradus Monachus in Vitâ Ansberti Rhotomagensis Episcopi, qui floruit anno Domini D C. LXXXII. *Sanctum illud corpus magnâ fidei ambitione vestitum est, ac desuper linteis ceratis obvolutum.* Ita crediderim piè lineas aliquot *ὑποβόλας*, interiori sepulchro Christi instratas, quò molliùs quiesceret corpus inuolutum: aliquot iterùm lineas *ὑπερβόλας* eidem pietatis ergò superinductas, ante sepulchri obturationem; cùm Petrus & Ioannes dicantur vidisse à resurrectione *τὰ ὀθόνια* numero plurali: imò etiam sub institis plura linteamina diuino corpori vel substrata vel superextensa fuisse nihil vetat, vt alibi dixi.

Baron.
ad Mart.
15. Iunij,
& an. 55.
n. 12.

Legimus quoque in sacris Historiis, cùm vetus Ecclesiæ Romanæ consuetudo non tantùm abhorreret, vt corpora Sanctorum Româ transferri pateretur; sed nec tenues Reliquias ex iis detrahi vel tangi quoquomodo permetteret; solitos Christianos sudarium, vel aliquod aliud velum desuper admouere, quod dicebatur *Sanctuarium*, siue *Brandeam*, quod ex illo contactu magnam operandi miracula facultatem consequi consueuerat. S. Germanus, & eius collegæ, Legati Apostolici, in Rescripto, quod dederunt ad Hormisdam Pontificem, sub Consulatu Rustici, anno Domini

ni

ni D. XX. cùm essent Constantinopoli; *Iustinianus* filius *vester magnificus* (inquiunt) res conuenientes fidei suæ faciens, *Basilicam Apostolorum*, in quâ desiderat SS. *Apostolorum Petri ac Pauli*, & *B. Laurentij Reliquias* esse, constituit: sperat per paruitatem nostram, ut *prædictorum Sanctorum Reliquias* celeriter concedatis. Habuit quidem *petitio prædicti viri secundum morem Græcorum*; & nos contra consuetudinem *Sedis Apostolicæ* exposuimus: accepit rationem. Et quia talis est eius feruor fidei, qui meretur quidquid de *Sede Apostolicâ* depoposcerit; & talis est qui sperat, unde & *salus animæ & fidei* accrescat; talibus desiderijs postulata competit non negare. Vnde si *Beatitudini vestræ* videtur, *Sanctuaria beatorum Apostolorum Petri & Pauli*, secundum morem ei largiri præcipite; & si fieri potest, ad *secundam cataractam ipsa Sanctuaria* deponere, *vestrum est deliberare*, &c. Extant in MS. Codice *Vaticanæ Bibliothecæ*, *Hormisdæ Papæ* ad eosdem Legatos de eadem re scriptæ litteræ; aliæ itidem ad *Iustinianum*, quibus significat Pontifex se tantùm *Sanctuaria* mittere.

Iterùm anno Domini D. XCIV. cùm in memoriam S. Pauli, *Constantina Augusta Ecclesiam* ædificasset in suo Palatio, putauit ipsa eam decorandam esse aliquibus *Apostoli Reliquiis*; cuius

rei causâ scripsit ad Gregorium V. Romanum Pontificem, vt Constantinopolim mitteret eiusdem Apostoli caput, vel partem aliquam corporis. Gregorius tam liberam Augustæ petitionem benè longâ epistolâ prudenter elusit, & inter alia hæc rescripsit: *Cognoscat tranquillissima Domina, quia Romanis consuetudo non est, quando Sanctorum Reliquias dant, vt quidquam tangere præsumant de corpore; sed tantummodo in pyxide brandeum mittitur, atque ad sacratissima corpora Martyrum ponitur; quod leuatum, in Ecclesiâ quæ est dicanda, debitâ cum veneratione reconditur; & tantæ per hoc ibidem virtutes sunt, ac si illuc specialiter eorum corpora deferantur. Vnde contigit, vt beata recordationis Leonis Papa temporibus (sicut à maioribus traditur) dum quidam Graeci de talibus Reliquiis dubitarent, prædictus Pontifex hoc ipsum brandeum allatis forficibus inciderit, & ex ipsâ incisione sanguis effluerit. Ad finem denique, etiam ipsum S. Pauli sudarium recusauit, his verbis: Sudarium verò quod similiter transmitti iussistis, cum corpore eius est; quod ita tangi non potest, sicut nec ad corpus illius accedi. Per brandeum & sanctuarium velum intelligi debere cense-
 set Baronius, quod alibi Gregorius appellat *velamen admoueri solitum sanctis Martyrum corpori-**

L. 3. ep. 30
 L. 4. ep. 44
 L. 12. De-
 cret. 4.

poribus ; quod Romani Pontifices ad clarissimas personas & Ecclesias , pro magno munere transmittere solebant. Vnde mirum non est , si lapsu temporum , quædam illorum pro *sanctuariis* dicta sunt , vt prius , *sudaria* ; & verò attributa ipsi Christo , mirandorum quæ per ea patrabantur Auctori. Ita de clavis Dominicis , qui plures hodie reperiuntur , Baronius : *Accidit fortasse alicubi* , inquit , *vt clauus aliquis inter sacras Reliquias asseruatus , quo mystica membra Christi , nempe Martyr quispiam confixus est , idem vnus ex ipsis Christi clavis fuerit existimatus. Quidquid sit , fides (ait Ambrosius) purgat facinus , cum nemo fidelium ferrum colat , sed Christi potius passionem veneretur & adoret in ferro.* De linteis sepulchralibus Martyrum idem dici nihil vetat , quos constat linteis inuolui solitos. Eusebius quidam in Ægypto Diaconus , non multò post Laodiceæ in Syriâ Episcopus (Eusebio Historico teste) vigente Valeriani Cæsaris persecutione , anno Christi cc. lx. summo studio linteamina , quibus corpora beatorum Martyrum vitæ defunctorum inuoluerentur , neglecto vitæ periculo confecit. Abibum Diaconum Martyrem , Edessæ in Syriâ passum anno ccc. xvi. propinqui & amici pretioso linteo circumdederunt. Mulieris

An. 326.
n. 54.

L. 7. c. 10.

Baron.
n. 52.

Ep. 49. ris septies ictæ *cruentum cadaver* (apud Hieronymum) *Clerici, quibus id officij erat, linteo obuoluerunt.* Et consuetudinem illam tenebat Præses ille, qui Tharacum Martyrem sic aliquando est allocutus: *Nonne sic te perdam, ut antea prædixi, & Reliquias tuas, ne muliercula in linteamine corpus tuum, inuoluant, & unguentis & odoribus adornent? Neque Martyres tantum, sed & alios viros sanctos & Christianos, ministri, qui vocabantur Laborantes, cum linteis sepeliebant. Morem tetigit*

10. Cath. Prudentius:

*Candore nitentia claro
Pratendere linteæ mos est,
Adspersaque myrrha Sabæo
Corpus medicamine seruat.*

In Cant. S. Gregorius affirmat suo tempore lota corpora, vncta, & linteis inuoluta. Discipuli S. Antonij inuolutum magistri corpus humo operuerunt.

Syr. To. 6 Corpus S. Huberti Leodiensis Episcopi *ablutum est lymphis, & circumdatum tristibus peplis.* Denique Dionysius Episcopus Alexandrinus, ubi narrat pia Christianorum officia erga defunctos, cum pestis in Ægypto grassaretur, sub Valeriano Imperatore: *Quin etiam, inquit, Sanctorum corpora manibus erectis, supinisq; excipere, gremio suo reponere, occludere oculos, ora obturare, gestare humeris*

cada-

cadauera, decenter ornare, illis adhærescere, amicè complecti, lauare accuratè, & linteo funebri inuoluerè non grauati sunt. Idem mos etiamnum hodie viget per vniuersam Galliam & Germaniam, nisi quòd corpora ibi linteis toralibus obuoluta consuuntur, non verò institis obligantur. Fortè igitur alicubi Martyris cuiuspiam prisci æui, aut alterius viri sancti Sudarium, pro Christi Sudario colitur.

CAPVT XXVIII.

*De sepulchralibus Christi Domini fasciis
distinctiùs.*

FASCIA, *Λωία*, sumitur pro quouis vinculo plectili & lineo, *ἄπὸ τῆς Λωίης*, quod est *extendere*, quia in longum extenditur, latitudine angusta. Eâ stringebantur olim vel quædam corporis partes, vel corpus vniuersum. In capite dicta est Syriacè *ܡܝܬܪܐ* mitra, Græcè *διάδημα*, Latine *vitta*, de quâ intelligendus Dio Chrysostomus, Or. 66. de Gloria. ubi ait: *Si quis alius caput illasum fasciis obligaret, omnibus esset ludificatui; Regibus tamen id honestum putant, & multa hominum millia pro eo linteolo mortem oppetierunt.* Vittati quoque fuerunt Sacerdotes & Poëtæ; & capillos in capite mulieres colli-

Y ga-